



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.1. Quod hoc capite propositum est, variâ autoritate stabilitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

¶ I.  
 Quod hoc capite propositum est, variâ auctoritate  
 stabilitur.

Olim jam celebris, & alijs subinde Patribus usurpata est, illa S. Ignatij Episcopi & Martyris ad Romanos feribentis, sententia: *Amor meus crucifixus est.* Quod tametsi passim ita ab eo dictum accipiant, quasi eò sese ad cruciatuum mortisq; patientiam extimulet, quòd Amorem suũ, Christum inquam, quem medullitũs amaret, pro se crucifixum meminisset; isq; sensus uti ad pietatem facit, ita Martyris contextui satis congruenter aptari potest: si tamen ad ea respiciamus, quæ laudatis verbis, velut se explicans, S. Martyr adjungit: *Amor, inquit, meus crucifixus est; nec est in me ignis ullius rei terrene amans; sed aqua viva in me fallens intus mihi dicit: age, ad Patrem:* non malè dicemus cum eruditis nonnullis, magis esse, ut per amorem suum videatur illum intelligere, quem jam nos proprium sive privatam, aut Græcâ voce philantiam, dicere solemus; quo nimirum perversè ac præposterè ad nos reflexi, & quæ nostra sunt, non quæ Dei, quærentes, impurè quidpiam & inordinatè diligimus. Quem ille amorem suum, mutuatâ ab Apostolo voce, propterea Crucifixum esse dicat; quòd in se extinctum sentiret ignem seu cupiditatem, quâ rem ullam terrenam, aut omnino aliquid extra Deum concupisceret; solâq; in se subsistere aquam vivam, hoc est, solius se Divinæ gratiæ ac charitatis metu, agitari, quo impulsus spiritu, identidem anhelaret & contenderet ad Patrem. In quem etiam sensum post pauca subdit: *Nolo amplius secundum homines vivere. Cum Christo crucifixus sum: vivo enim non amplius ego, quandoquidem in me vivit Christus.*

Quamobrem quod olim, ingenioso commento, pictor nescio quis coloribus expressit in tabella, suisq; versibus repræ-

repræsentavit Aufonius: puerum Cupidinem (quem infanti amoris præsidem DEUM fabulabantur) aliquando ab Herodibus deprehensum, in arbore myrto suspensum ac crucifixum fuisse, quò expertam illius improbitatē ulciscerentur: hoc citra fabulam, ab animabus sanctis, aut Christum perfectè amare cupientibus, faciendum est; ut amorem sui privatum (quo nullum hostem infestiores, tyrannūve leviores sentiant) condignis excruciatum modis, non dicam ex veteri formula, arbore infelici suspendant, sed ex Apostoli Pauli monito, in ipsa Salvatoris cruce, unà cum ipso suffigant. *Hoc scientes* (inquit Apostolus) *quia vetus homo noster* (qui idem est re ipsā cum amore nostro proprio, aut innata naturæ corruptæ ad omne vitium propensione) *semel crucifixus est; ut destruat corpus peccati, & ultra non servietur.* Et S. Bernardus in meditationibus de eodem veteri homine agens, cū malorum omnium in genere humano illum fontem esse ostendisset, dixissetque esse contemptorem DEI, cultorem sui, inimicum Crucis Christi, &c. *Si rectè sentis*, inquit, *mecum dices: reus est mortis; crucifigatur. Instanter crucifige hominem istum, sed cruce Christi, in qua est salus & vita.* Ambrosius autem ad illa verba Psalmi 118. *Confige timore tuo carnes meas*; ita loquitur: *Confige ergo clavis, & destrue fomenta peccati: moriatur in carne tua omnis illecebra deliciarum: libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat. Est quidam clavus spiritualis, qui patibulo Crucis Dominica affigat has carnes.* Quod explicans subdit: *carnes animæ sunt carnales cogitationes.* Plura his affinia mox subjungemus.

## §. 2.

*Ejusdem rei diffusior explicatio.*

**A**tque ut distinctius & tanquam per gradus hic procedatur; licebit hanc omnem disciplinam ad tria capita reducere.

Pri-